

sint, nihilominus verum existimo, in his privatis vivendi modis, seu extra communitatem regularem ab Ecclesia approbatam, quam nunc proprie religionem appellamus, neminem posse verum statum religiosum assumere, aut verum religiosum fieri. Quanquam enim verus religionis status in privata domo ac vita fieri et consistere posset, ut supra, cap. 4, docui, et olim fuerit in usu in Ecclesia, ut infra ostendam, tractando de eremitis, nihilominus in præsentis tempore existimo non posse hujusmodi statum, ut inter ecclesiasticos numeretur, extra religiones approbatas constitui. Hoc mihi videntur sentire Doctores in rubrica de Regularibus, ubi communiter tradunt, eremitas et beatas, quas vocant, in privatis domibus religiose viventes, non esse vere ac proprie religiosas personas. Fundarique potest hoc in verbis Innocentii, in d. cap. ult., ubi, facta prohibitione: *Ne quis de cætero novam religionem inveniat*, adjungit: *Sed quicumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat*. Per quæ verba limitat assumptionem religiosi status ad professionem factam in una de religionibus approbatis. Unde idem Innocentius III, in cap. *In singulis*, de Statu Monach., omnium religiosorum statum ad communem vitam ita revocare studuit, ut non solum in singulis monasteriis communis vivendi modus servetur, sed etiam diversa monasteria inter se aliquo modo uniantur, et in unam veluti societatem aggregentur, quod Concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 8, de Regul., confirmavit.

28. Ratio autem videtur sumenda ex dictis in superioribus, quod ad statum religiosum necessaria sunt tria vota substantialia cum traditione acceptata ab habente potestatem ab Ecclesia, ut nomine Dei talia vota et traditionem admittat. Nunc autem ex ordinatione Ecclesiæ non est commissa hæc potestas, nisi religionibus approbatis, seu earum Prælati; et ideo per illa tria vota ubicumque aliter facta verus religiosus status non constituitur. Et hoc confirmat, quod ex Gregorio XIII sæpe adduximus. Nam inde probat tria vota scholarium, et coadjutorum Societatis, tametsi simplicia, nihilominus esse substantialia religionis, et verum religiosum constituere, quia in religione approbata illius Sedis auctoritate admittuntur. Ergo extra similem statum non possunt esse substantialia religionis vota, ac proinde nec verus religiosus status. Confirmat etiam hoc potest, quia videmus ablatam esse ab Ecclesia consuetudinem velandi vir-

gines in privatis parentum domibus manentes; ideoque non recipi earum vota in manibus Episcopi, vel alterius, qui non sit Prælati alicujus monasterii cui talis virgo se tradat et incorporetur. Idemque in viris multo magis servatur. Unde Concilium Tridentinum, in d. sess. 25, tradens doctrinam de Regularibus, hanc plane veritatem supponit.

29. *Assertitur ultimo, et satisfi argumentis contrariis.* — Argumenta aliarum opinionum ex dictis satis expedita sunt; solum superest addendum, propter rationem principalem in principio positam, eos, qui novas religiones sine approbatione introducunt, gravissime peccare contra dictam prohibitionem, etiamsi reipsa quod intendunt non assequantur, id est, veram religionem non efficiant. In hoc omnes conveniunt. Unde Panormitanus ibi in principio colligit regulam, nemini licere novam religionem invenire; si ergo non licet, peccat qui id facit. Et in d. cap. *Nullus*, de For. comp., dicit hos *transgrediendo prohibitionem sic solemniter, et ex causa factam incurrere non modicum peccatum*. Idem docuit Sylvester, verb. *Religio*, 1, q. 6, addens illos non esse religiosos proprie, sed potius irreligiosos, et in eo facto graviter peccare; imo addit esse excommunicatos ipso facto, sicut etiam dixerat verb. *Excommunicatio*, 9, num. 95, excommun. 20. Et idem tenuerunt Angel. et Navar., quorum sententiam quoad culpam admittimus; nam quoad censuram non approbamus, ut dixi in 5 tom. de Censur., disp. 23, sect. 4, n. 18, non quia materia et culpa non sit capax censuræ, sed quia de facto lata non est. Ratio autem assertionis non est alia, nisi quia illa est gravissima prohibitio ecclesiastica, quæ non involvit in se repugnantiam supra objectam, id enim contra omnem prudentiam et contra intentionem legislatoris fuisset. Prohibet ergo illa lex invenire religionem sine approbatione, eo modo quo per temeritatem et præsumptionem potest ab homine inveniri et introduci, scilicet, facto, seu quod in externa professione speciem corporis mystici religiosi habere videatur.

30. *Peccat graviter qui novam religionem introducere tentat, licet effectum non assequatur.* — Itaque prohibet Concilium, ne quis, quantum est ex se, religionem tentet introducere, et ideo violator est legis, et gravissime peccat, qui id tentat, licet effectum assequi non poterit; et sic etiam dixit Gregorius X, in d. cap. 1, *presumptuosam aliquorum hominum temeritatem effrenatam multitudinem*

*ordinum invenisse.* Nec refert quod non utatur nomine religionum, sed ordinum, quia vel juxta subjectam materiam pro eodem sumpsit, vel ait eos, licet adinvenissent ordinem, nihilominus peccasse contra priorem Innocentii prohibitionem, eo quod religionem introducere tentabant. Et ideo ipse iterata constitutione prohibet tam religionem quam ordinem, et nihilominus, qui nunc nolens introducere religionem, sed tantum novum ordinem sine licentia Pontificis intentaret, graviter peccaret, ut sentit Panormitanus, d. cons. 55, quamvis, ut diximus, etiam talis vivendi modus non posset nunc esse verus ordo, nec verum collegium, seu religiosum corpus, sed tantum quædam illius umbra, quod non obstat quominus gravissime peccet, qui illum sine approbatione introducit. Sicut qui nunc contrahit matrimonium sine paroco et testibus gravissime peccat, etiamsi nullum matrimonium in reipsa faciat, juxta Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 1, de Reform. matrim., ubi ad majorem claritatem dicit: *Quisic matrimonium ducere tentabunt*; tamen in sess. 25, cap. 15, de Regul., de professione ante annum probationis expletum, vel ante legitimam ætatem facta, sic ait: *Professio antea facta sit nulla*, ubi professionem appellat, quæ vera professio futura non est, quia tanquam professio fieri tentatur, vel quia esset vera professio, si lex illa edita non fuisset. Ita ergo in nostro casu dicendum est.

## CAPUT XVII.

UTRUM POTESTAS ORDINARIA APPROBANDI RELIGIONEM CUM PLENITUDINE ET EXCELLENTIA, IN SOLO PONTIFICE SUMMO RESIDEAT, ET QUOMODO AB EPISCOPIS PARTICIPETUR.

1. *Prima assertio.* — *Potestas hæc est jure divino in Pontifice.* — Hæc quæstio magna ex parte in duobus præcedentibus capitibus expedita est; ad majorem autem intelligentiam materiæ, ejusque complementum, nonnulla in hoc capite addere opportunum judicavimus. Primo ergo suppono, potestatem hanc jure divino Summo Pontifici Romano convenire. Res est per se nota, supposito principio fidei, quod Papa sit supremus Christi vicarius in terris; nam hinc fit ut in illo sit suprema jurisdictio et potestas ad gubernandam et ad pascendam Ecclesiam; potestas autem approbandi religionem est pars potestatis jurisdictionis ecclesiasticæ et gubernativæ in ordine

ad bonum animæ; ergo est in Summo Pontifice; ergo immediate convenit illi ex vi juris divini, quia ejus dignitas inde manat, et immediate a Christo Domino confertur, et cum dignitate datur potestas, cujus actus inter alios est approbatio religionis.

2. *Secunda assertio.* — *Est etiam aliquo modo in Episcopis.* Secundo dico hanc potestatem aliquo modo esse in Episcopis, et olim ante Concilium Lateranense illam participasse; ita docet Vasq., d. disput. 165, cap. 4, num. 39; Azor, tom. 1, lib. 41, capit. 24, q. 5; Lessius, lib. 2, cap. 41, num. 12; Mirand., de Regul., tom. 1, q. 3, art. 6; et Basil. Ponce, in d. q. 3, cap. 7. Et idem sentit Mendoza, lib. 2 de Concil. Iliber., capit. 30, quatenus late ex sacris Conciliis probat, olim monachos fuisse sub Episcopis, tanquam sub propriis Prælati. Quod non videtur intelligendum illo generali modo, quo cæteri, intra dioccesim habitantes, Episcopo, tanquam proprio Prælati subduntur, sed etiam speciali titulo religionis, sicut nunc subduntur, verbi gratia, Provinciali, vel Generali. Sic enim Abbas ipse erat sub Episcopo, sicut inferiores monachi erant sub Abbate proxime, et mediate seu remote sub Episcopo, sub quo ipse Abbas existebat. Ideoque in Concilio Nicæn., c. 56, præcipiebatur ut Abbas ter in anno coram Episcopo compareret. Et in Concilio Aurelianensi, can. 21, dicuntur abbates in Episcoporum potestate consistere, cap. *Abbatas*, 18, q. 2, et in sequenti dicitur: *Monasteria et monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta.* Et ideo abbates præcepta Episcoporum contumaciter despicientes excommunicantur in Concilio Aurelianensi III, c. 22, et ita videtur fuisse observatum ex vi juris communis; et semotis specialibus exemptionibus, colligitur ex cap. ult. de Relig. domib.

3. *Probat uterius.* — Præterea receptio monachorum ad Episcopum spectabat, ut sumitur ex Dionys., de Ecclesiast. Hierarch., c. ult., et Concilio Nicæn., lib. 13, cap. 14, juxta versionem Pisani. Et merito, quia cum Episcopus sit proximus pastor, et suo modo Christi vicarius quasi proprius, ex vi sui muneris poterit nomine Dei acceptare vota et traditionem, quod alii inferiores Prælati aut fundatores religionum sua auctoritate facere non poterant. Et ita olim virgines sacras ab Episcopis velatas fuisse, antiqua traditio est, ut postea videbimus. Similiter ad Episcopos spectabat monachorum incorrigibilium elec-



tio, juxta Concilium Meldense, c. 19, et alia ad superius quoddam regimen spectantia, ut sumitur ex cap. *Qui religiosi*, 18, q. 2 Concilii Carthaginens. IV, cap. 22; et ex Concilio Antioch., cap. 38. Ex hac ergo subordinatione, quæ tunc erat inter religiosorum monasteria et Episcopos, colligi potest multo majorem fuisse in approbatione uniuscujusque monasterii, ejusque vel fundatione vel introductione cum novo religionis modo, quod videtur expresse cautum in Concilio Chalcedonensi, cap. 4 et 8. Et habetur in cap. *Diffinitus*, 18, q. 2; et postea Concil. Agath., cap. 27, sic statuit: *De monachis monasterium novum (nisi Episcopo permittente aut approbante) nullus incipere aut fundare præsumat.* Habetur in cap. *de Monachis*, 18, q. 2; in quibus verbis noto verba illa: *Permittente aut approbante*, quibus duobus membris alia duo respondere videntur, *incipere, aut fundare.* Approbatio enim ad novum religionis institutum in novo monasterio introducendum necessaria erat. At vero ad ædificandum monasterium antiquioris instituti permissio suffecisse videtur, et utrumque ad Episcopos pertinuisse declaratur; et similia fere habentur ex eodem Concilio, cap. 51, in c. *Cellulas*, eadem distinct. 18, quæst. 2.

4. *Confirmatur efficacius.* — Evidentior hujus rei probatio sumitur ex dictis in capite præcedenti, ubi ostendimus religiones antiquas, quæ ipso usu approbari meruerunt, sine speciali approbatione Pontificis incepisse; quod etiam voluit Trithem., lib. de Laud. Carmel., cap. 5, interrogans: *Dic mihi, detractor, legistine Bullas veteres ordines approbantes? Quis Papa firmavit veteres ordines Pachonii, Basilii, Augustini?* Hinc ergo colligimus, approbantibus Episcopis introduci cœpisse, quia nec verisimile est sine ullo examine et approbatione Pastorum Ecclesiæ incepisse. Id enim sine magno animarum periculo permitti non poterat, nec, secluso Pontifice Summo, ab aliis quam a propriis Episcopis fieri poterat. Neque illis tunc erat prohibitum, nullum enim tale jus extat, nec ex traditione aut historiis habetur. Et ideo Concilium Lateranense, in d. cap. ult., dicens: *De cætero*, etc., illo verbo significat, novum esse jus quod condit, et futura respicere, non præterita, ut de illo textu in particulari notavit glossa, in cap. 1, § *Sane*, de Relig. domib., in 6, verb. *Præcessit*. Neque obstat quod ibidem supponitur, jam tunc fuisse religiones approbatas, cum præcipitur ut, qui-

*cumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis accipiat.* Respondetur enim sermonem esse de approbatione Pontificia, vel expressa et speciali, quæ aliquibus religionibus jam concessa fuerat, ut videbimus, vel tacita, quæ respectu totius Ecclesiæ, ipso usu tacite inducta fuerat, quam ab expressa Episcoporum approbatione incepisse credimus.

5. Tandem ratio a priori est, quia religionis approbatio est necessaria ad bonos et perfectos Ecclesiæ mores; ergo, per se loquendo, et non præveniente nec impediante Pontifice, pertinet ad unumquemque Episcopum in sua diœcesi. Tum quia in his rebus, quæ ad ordinariam gubernationem pertinent, unusquisque Episcopus potest in suo episcopatu quod Pontifex in universa Ecclesia, nisi a Pontifice reserventur aut excipiantur, quod ex peculiari excellentia seu titulo illi concessum esse supponimus, et alibi, Deo dante, dicemus. Tum etiam quia Episcopus ex proprio munere est perfectior aliorum, teste Dionysio, cap. 5 de Ecclesiast. Hierarch. Ergo ad illum spectat perfectionis viam subditis suis ostendere, et approbare.

6. *Sententia singularis negat, sed sine fundamento.* — His vero non obstantibus, quidam modernus auctor hanc sententiam non approbat, dicitque Episcopos nunquam approbasse religionem, sed tantummittere solitos fuisse ad regulam per Pontificem approbatam. Ad objectionem autem, quia regula Basilii vel Augustini non invenitur approbata a Papa, respondet, ex eo quod aliæ regulæ leguntur a Papa approbatæ, intelligi debere nec Basilium, nec Augustinum, aliquem ad observationem suæ regulæ admisisse, antequam per Pontificem probata fuisset. Potestque in hujus sententiæ favore allegari cap. *Ecclesia*, 8, de Consecr., dist. 1; sed de illo textu dicam paulo post. Citatur etiam pro eadem sententia Panorm., in d. cap. ult. de Relig. domib.; sed alia est ibi ejus sententia, quam statim explicabo.

7. Igitur illa sententia singularis est, et sine ullo fundamento cogitata. Nam imprimis, quod Episcopi non potuerint ante Lateranense Concilium monasteria in suis diœcesibus erigere, nisi secundum aliquam regulam approbatam a Papa, non fuit unquam de jure naturali, vel divino; nec tunc erat de hac re præceptum, vel prohibitio a Pontificibus lata. Ergo sine fundamento imponitur Episcopis illud onus. Major probatur, quia status religionis, quoad substantialia et quoad consilia, de

jure divino est, et consequenter est approbatus non solum ut bonus, sed etiam ut melior; ergo ex hac parte non erat tunc necessarius recursus ad Pontificem. Idem vero status quoad peculiarem modum vivendi, cum his vel illis cæremoniis, aut regulis, vel constitutionibus, non est determinatus jure divino naturali, vel positivo, ut per se notum est, sed humana prudentia, et ratione divino Spiritu adjuta, determinari potest. Ergo unusquisque Episcopus poterat in suo episcopatu hanc determinationem facere sine recursu ad Pontificem, quamdiu ipse aliud non præcipiebat, quia nulla naturalis ratio vel divina lex illum recursum ut necessarium exigebat.

8. *Episcopus potest in sua diœcesi quicquid illi non prohibetur.* — Et declaratur, quia duo sunt in approbatione, ut dixi: unum est iudicium de probitate et honestate talis modi vivendi, vel talis regulæ, et hoc potest esse ita evidens secundum rationem naturalem et consonam fidei, ut ex hoc capite non sit necessaria ex natura rei, vel jure divino alterius approbatio. Aliud est, licentia vivendi publice et communiter secundum talem modum, vel regulam. Et quoad hoc, quilibet Episcopus in suo episcopatu habet potestatem dandi talem licentiam, quamdiu illi prohibitum per Pontificem non est, juxta illud principium receptum communiter, Episcopum posse in sua diœcesi quicquid illi non prohibetur; quod in præsentia materia optime applicatur, quia pertinet ad ordinarium regimen animarum. Et hoc aperte sensit Innocentius, in d. cap. ult., addens particulam, *de cætero*, ut supra ponderavi. Nam eandem includit, cum subdit: *Et similiter, qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam, et institutionem assumat de approbatis.* Et in hoc sensu dixit Panormitanus ibi, post illam legem, non posse Episcopum licentiam contra illam dare, quia prohibitio est generalis, et quia Episcopus non potest dispensare in lege Concilii generalis. Unde indicat, ante hanc prohibitionem Episcopos hoc facere potuisse.

9. *Religiones Sancti Basilii, Sancti Augustini et Sancti Benedicti sunt introductæ sola Episcopi approbatione.* — Deinde, quod ille auctor ait, omnia monasteria antiqua fuisse fundata secundum aliquam regulam approbatam a Papa, verisimile non est. Primo, quia regulæ religionis antiquæ, et ab Ecclesia receptæ, tres tantum sunt, Basilii, Augustini et Benedicti, ut supra tetigi ex Concilio Romano sub Innocentio II, cap. 26 et 27,

et habetur in cap. *Perniciosam*, 18, q. 2. De nulla autem illarum potest cum probabilitate dici, fuisse a Summo Pontifice specialiter et expresse approbatam, priusquam monasteria secundum illas fundari cœperint. Nam regula Basilii ante annum 328, in quo ipse mortuus creditur, facta est; tamen in Conciliis vel decretis canonicis mentio ejus non invenitur, usque ad septimam Synodum, c. 20, quæ plusquam 400 annis post mortem Basilii celebrata est, et longe post in d. cap. *Perniciosam*, et tamen per illos 400 annos innumera monachorum monasteria sub illa regula multiplicata sunt, præsertim in Oriente. Et in dictis Conciliis non approbatur, sed ut jam recepta et approbata commemoratur, utique usu ipso; non enim possumus cum fundamento affirmare, Basilium obtinuisse a Pontifice approbationem; sed cum esset Episcopus, auctoritate sua, illam pro suo monasterio approbavit, et inde per imitationem et acceptationem in aliis locis introducta est, consentientibus Episcopis, quando ad eorum diœceses perveniebat, et tandem annuente tacite Summo Pontifice, quando ad ejus notitiam, vel usum occidentalis Ecclesiæ pervenit.

10. Idem de regula Augustini dicendum est; nam similiter facta est ante annum 440, quia tunc jam D. Augustinus mortuus erat, et tamen in canonibus mentio ejus haud fit, usque ad annum 830, sub Eugenio II et Carolo Magno, in quodam Concilio Rhemensi, can. 3. Alii dicunt in villa Theodonis fuisse coactum. Ejusdem etiam regulæ meminit Synodus Rhemensis, ir. d. c. *Perniciosam*. Et in utroque loco supponitur fuisse ita receptam, ut secundum illam monasteria fierent, vel etiam reformarentur. Et sine dubio Augustinus statim sub illa religiosos congregare cœpit, sua auctoritate, ut ex sermonibus de communi vita Clericorum, et aliis ejus operibus constat, et postea religiosa monasteria vel etiam integræ religiones sub illa multiplicatæ sunt; et per solum usum et tacitum Pontificis consensum est approbata. Nam, licet postea specialiter approbatus fuerit ordo fratrum Sancti Augustini, non tam est approbata ipsa regula, quam specialis modus vivendi sub illa; quomodo etiam Prædicatorum religio approbata est.

11. Denique idem est de regula Sancti Benedicti. Nam, licet ejus mentionem faciat dictum Concilium Rhemense, vel Theodonense, et Concilium Moguntinum, in principio, et can. 11, anno 813; et Zacharias Papa, in epistola ad Bonifacium; et Alexander II, in



cap. *Gonsaldus*, 17, q. 2; et Alexander III, cap. *Super eo*, de Regul., omnes supponunt, regulam tanquam sanctam et receptam, nihil de ipsius approbatione tractantes. Et quamvis multo antea Gregorius, lib. 2 Dialog., cap. 12, illius mentionem fecerit, et in 36 eam laudaverit, dicens *esse regulam discretionis præcipuam, et sermone luculentam*, non tamen illam ut Pontifex approbat, sed laudat ut Doctor et Sanctus. Refertur autem in additione quadam ex Turrecr., super regulam Sancti Benedicti, cap. primo, S. Gregorium vivæ vocis oraculo approbasse regulam, itemque Zachariam postea illam confirmasse; verumtamen, esto hoc admittatur, saltem ante Gregorium, nulla præcessit specialis approbatio alicujus Pontificis, quamvis per 50 annos jam essent multa monasteria sub illa regula ædificata, in quibus etiam ipse Gregorius et religiose vixerat, et, ut creditur, aliqua ipse fundaverat.

12. *Idem dicendum de religione Sancti Pacomii*. — Præter has regulas refertur alia Sancti Pacomii, qui Basilium præcessit anno 318, et ab Angelo eam recepisse historiæ referunt, Niceph., lib. 9, cap. 14; Sozom., lib. 9, cap. 13; et Pallad., in Lausiaca historia, cap. 35, alias 38, ubi et regulam totam nobis proponit, et secundum illam instituisse Pacomium Monasterium fere mille quadringentorum monachorum, quod alia multa peperit, in quibus ad septem mille viri religiosi Deo serviebant, referunt. Nullam autem mentionem faciunt specialis approbationis talis regulæ, nec est verisimile Romanum Pontificem aut de illa revelatione Angelica certum factum fuisse, aut regulam ipsam examinasse et approbasse. De Episcopo vero illius territorii, per se credibile et verisimillimum est, quia Episcopi sunt ordinarii Pastores ad quorum curam spectat de statu filiorum subditorum judicare, et pericula tollere, ac viam salutis et perfectionis ostendere. Ergo quando institutio erat a Deo, non fiebat sine hac subordinatione. Nam, *quæ a Deo sunt, ordinata sunt*.

13. *Patet etiam in multis aliis monasteriis*. — Præterea legimus apud Athanasium, in Vita Antonii, sub illo fuisse multa monachorum domicilia, quorum meminit etiam Augustinus, lib. 8 Confess., cap. 6, ubi etiam refert fuisse Mediolani monasterium plurimum religiosorum sub D. Ambrosio. Et Sulpitius, in Vita Martin., c. 4, refert ipsum Mediolani monasterium ædificasse, et in cap. 7 ait, aliud prope Turonensem civitatem sibi statuisse, in

quo 80 religiosos habebat, quos ad suum exemplum instruebat. Et Gregorius, l. 1 Dialog., cap. 4, *sanctum Equitium refert pro sua magnitudine sanctitatis, multorum monasteriorum patrem in Valeria Provincia fuisse*. Et similia multa in historiis sanctorum Patrum leguntur.

14. Ex quibus sic colligimus: ista monasteria non vivebant sine aliqua certa regula, ut videtur per se notum, alias non fuisset in eis ordo, sed confusio, et consequenter non potuisset in eis esse schola perfectionis, imo vix posset in eis votum obedientiæ emitti; quia, ut ordinate fiat, secundum aliquam regulam fieri debet, ut infra dicetur, sub regula comprehendendo quælibet statuta, constitutiones, aut certum ritum, ac modum vivendi. Sed illa monasteria non vivebant secundum regulam S. Benedicti, quia multo sunt antiquiora, nec secundum regulam Augustini, quia profitebantur vitam monasticam, quæ alia est ab utraque institutione Augustini, tam clericali quam eremitica; nec Basilii, quia illa non est observata, nec cognita in Occidente per multa tempora, quando jam erant in his partibus multa ex dictis monasteriis; et in ipso Oriente multa monasteria, ut Antonii, et similia, fuerunt Basilio antiquiora. Ergo non est verisimile illa omnia monasteria eadem regulam servasse, sed illa tantum quæ ab uno primo monasterio ducebant originem. Alia vero, quæ proprios fundatores seu inventores habuerunt, juxta varias ipsorum regulas ordinariè vixisse credendum est, quia si unum monasterium non ducebat originem ab altero, vel illud imitabatur, non poterat fieri humano modo, ut veluti casu, et præter intentionem in omnibus regulis convenirent; ergo signum est particularia monasteria usa fuisse suis regulis propriis, sine peculiari consultatione Pontificis, ejusque approbatione non expectata nec petita, quia nulla mentio tam frequentis recessus ad Papam pro approbatione hujusmodi obtinenda reperitur, nec necessitatis ejusmodi ratio sufficiens reddi potest, cum institutio illa universalis non esset, nec pro tota Ecclesia fieret. Sufficiebat ergo Episcoporum approbatio, sicut in canonizatione, vel potius beatificatione alienjus Sancti olim servabatur, ut nunc supponimus. Est enim eadem vel major ratio in præsentibus, ut capite præcedenti tactum est.

15. *Tertia assertio: hæc potestas altiori modo est in Pontifice quam sit in Episcopis*. — Primum discrimen inter summam Papæ et Epis-

coporum potestatem. — Dico tertio, potestatem approbandi religionem, longe altiori et excellentiori modo esse in Summo Pontifice, quam sit in cæteris Episcopis. Hoc certissimum est, potestque ostendi, quia, generatim loquendo, omnis potestas gubernandi Ecclesiam est altiori modo in Pontifice, quam in omnibus Episcopis, non solum divisim, sed etiam collective sumptis, ut in opere de Ecclesiastica Hierarchia ex professo ostendendum est. Nunc distinctius probatur assertio, constituendo aliqua discrimina inter Pontificiam et Episcopalem approbationem. Primum sit, quia Pontificis approbatio respicit totam Ecclesiam; Episcopi autem solam suam diocesim. Hoc est per se notum. Ratio prioris partis est, quia in Pontifice est omnis potestas Ecclesiastica in supremo gradu quoad omnia, et ideo adæquate respicit universam Ecclesiam quoad personas et loca, in quocumque actu suo, et pro uniuscujusque capacitate. Sed unus ex his actibus est approbare religionem; ergo id facere pro universa Ecclesia ad Summum Pontificem spectat. Quia vero Pontifex libere sua potestate utitur, poterit, si velit, religionem aliquam approbare pro suo solo proprio episcopatu Romano, vel etiam pro una provincia sola, ut verbi gratia, pro Italia, vel Hispania, sicut beatificat Sanctum, quem non canonizat. Quia qui potest totum, potest etiam partem, licet non e contrario.

16. Unde ratio alterius partis est, quia potestas uniuscujusque Episcopi est limitata ad suam diocesim, nec potest exercere actus jurisdictionis pro alieno territorio, nec alienas oves pascere. Unde nec Archiepiscopus posset pro toto Archiepiscopatu religionem approbare, sed solum pro sua propria diocesi, quia extra illam non habet ordinarium regimen, ad quod hujusmodi approbatio pertinebat, quando Episcopis denegata non erat. Unde fit ut, si Episcopus monasterium religiosum sub nova regula a se approbata in sua diocesi erigat, eo ipso possint intra eandem diocesim plura monasteria multiplicari, non vero extra illam, nisi alio Episcopo acceptante vel denuo approbante, et sic poterit ad alias dioceses transire, et per cunctam Ecclesiam, non per unam approbationem, sed quasi per collectionem plurium. Quæ, nisi per expressam vel tacitam Pontificis approbationem consummentur, nunquam pro tota universali Ecclesia sufficient. Tum quia saltem in Episcopatu Romano admitti non poterit sine ipsius consensu; tum maxime quia nunquam habebit pe-

culiarem proprietatem universalis approbationis, donec specialis auctoritas Pontificis intercedat, ut ex sequenti puneto patebit.

17. *Secundum discrimen: approbatio Episcopi est fallibilis, Pontificis vero est infallibilis*. — Secundum discrimen inter Pontificiam et episcopalem approbationem est, quia Episcopalis approbatio habet certitudinem mere humanam, ac subinde fallibilem; approbatio autem Pontificis habet divinam auctoritatem ab speciali Spiritus Sancti assistentia, quam habere creditur, ne in tam gravi negotio erret, et ideo certitudinem habet infallibilem. Hæc differentia quoad priorem partem indubitata est, quia nulli particulari Episcopo promissa est specialis Spiritus Sancti assistentia, quæ promissa est Petro, cum ei dictum est, Matth. 8: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; et Luc. 22: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, etc. Et ratio est, quia hæc assistentia datur Pontifici in gratiam Ecclesiæ Catholicæ, et tanquam supremæ regulæ visibili, quæ ita universalem Ecclesiam dirigere debet, ut nec in fide, nec in moribus, quoad doctrinam vel approbationem errare valeat; Episcopus autem particularis non approbat pro tota universali Ecclesia, ut dictum est. Nec etiam est suprema regula, sed habet superiorem in terris, a quo possit emendari, et ideo ejus muneri talis assistentia non debetur nec datur. Imo nec per delegationem potest a Pontifice committi, quia illud speciale privilegium proprium Pontificalis dignitatis delegabile non est, sicut nec potestas canonizandi Sanctos, vel definiendi veritatem aliquam catholicam cum illa assistentia delegabilis est, ut ex communi doctrina nunc suppono. Dices, hinc colligi, Episcopum non posse religionem approbare, quia perniciosum valde esset Ecclesiæ in hujusmodi approbatione errorem aliquem misceri. Respondeo, non esse æqualem certitudinem in rebus omnibus exigendam, et ideo major requiritur ad approbandum aliquem statum, proponendo illum toti Ecclesiæ, ut perfectionis viam securam, et sine errore, quam ad proponendum illum particulari Ecclesiæ, seu diocesi; satis ergo est quod possit Episcopus bene in fide instructus, ac prudens, et prudentium consilio utens, morali certitudine illam approbationem facere.

18. *Sententia Cæni ut incauta rejicitur*. — Et hinc magna ex parte probata relinquitur altera pars de infallibili Summi Pontificis ap-